

sacra Rituum congregatio de mandato Urbani VIII, ut patet ex decreto ad litteram dato sub verb. *Officium divinum*, art. 3, n. 88.

(37. Mutare propria auctoritate, et voluntate præscriptas preces in alias, v. gr. unam epistolam in aliam, unum evangelium in aliud, et hujusmodi, si hoc fiat cum magna deformitate et scandalo, uti esset in missa Nativitatis, Paschalis seu Pentecostes recitare epistolam et evangelium missæ Defunctorum, est grave peccatum; si autem consimilis mutatio fiat cum parva deformitate et sine scandalo, est solum peccatum veniale. *Communis.*

(38. Mutare imperfecte aliquas actiones, v. g. breviores facere cruces, non perfectas genuflexiones, non rectas inclinationes, et hujusmodi, secluso scandalo et contemptu, est ad summum veniale peccatum. *Communis.*

(39. Invertere partes ejusdem rationis, v. g. recitare unam orationem ante aliam, unam prophetiam seu epistolam ante aliam, et hujusmodi, est solum peccatum veniale. Invertere autem voluntarie partes diversæ rationis, seu dissimiles, ut legere evangelium ante epistolam, et hujusmodi, est peccatum mortale, quia hic intervenit magna deformitas, contemptus et scandalum. Sic doctores passim.

(40. Alia ad rem. *Vide verb. MINISTER SACRAMENTORUM, verb. MISSA, verb. OFFICIUM DIVINUM.*

(41. Quæ auctor in hoc articulo est complexus, exigenda sunt ad illa, quæ de Rubricis tradunt Gavantus, in *Thesaurio sacr. Rit.*, præsertim part. III, tit. 11, *De Rubricis præceptivis et directivis*, et Meratus, in *Observationibus et additionibus* ad eundem titulum, ex quibus hæc subjicere libet, quæ leguntur num. 1 et 2. Igitur Meratus, num. 1, sic habet: « Non solum reperitur auctor, qui distinguit Rubricas in præceptivas sub mortali, et præceptivas sub veniali, sed etiam legitur sententia Fagundez, in *Præcepta Ecclesiæ*, præcept. 1, lib. III, cap. 1, part. XXI, n. 7, qui sustinet Rubricas Missalis communiter non obligare sub peccato mortali, imo addit n. 9, Rubricas Missalis non præcipere, sed consulere et instruere: quibus verbis, ut notat Quarti, in *Quæst. proæmial.*, sect. 2, punct. 1, jam excludit etiam peccatum veniale in transgressionibus Rubricarum, quia consilia nullam obligationem inducunt; sed hæc sententia, ut optime ostendit idem Quarti, est procul dubio falsa, et plus quam falsa, et contra communem DD. sententiam. Victorianus vero Premoli, in *Memor. cler.*, part. III, cap. 9, asserit prædictam opinionem Fagundez se refutasse, ut damnatam; ex Bulla enim Pii V Missali apposita, et ex concilio Tridentino, sess. VII, can. 13, et sess. XXII, aperte constat adesse præceptum, et non mere consilium servandi Rubricas, et sacros ritus ab Ecclesia præscriptos; hæc secunda sententia ex diametro opposita docet; omnes Rubricas habere vim obligandi sub peccato mor-

tali ex genere suo, sed ratione parvitas materiæ posse transgressionem talium Rubricarum esse tantum peccatum veniale. Ita Suarez, l. III, in III partem, disp. 83, sect. 3; Molfesius, tract. 1, cap. 7, n. 22; Aversa, *De sacrific.* qu. 11, sec. 12; Coninch., Puteobonellus, *De sacrific. missæ*, quæst. 5, art. 9, n. 8, pag. 419, edit. Mediolanen. 1710, ejusdem congregationis cum Gavanto, Lezana, Bonacina, et alii, quorum sententia, ait Quarti, si recte intelligatur de ritibus adhibendis in ipsa missæ recitatione, est absolute vera. Tertia sententia media distinguit, cum Gavanto supra, Rubricas, in præceptivas et directivas, docetque Rubricas præceptivas obligare sub peccato mortali ad servandos ritus in eis præscriptos; Rubricas vero directivas nullam imponere obligationem, sed esse consilia et instructiones. Ita Gavantus, *sup.*; Marchinus, *De sacram. Ordinis*, tract. 3, part. III, cap. 6; Tamburinus, in opuse. *De sacrific. missæ*, lib. II, cap. 5, § 1; Premulus, *loc. supra cit.*, part. III, cap. 1. Auctores, qui adhærent huic sententiæ, censent præceptum contentum in Bulla Pii V servandi Rubricas, non extendi indifferenter ad omnia, quæ in Rubricis continentur, cum plura sint minutissima, nec materia apta præcepti. Hinc card. de Lugo, disput. 20 *De Euch.*, sect. 2, n. 7, ait, *Certum est, non omnia, quæ in Rubricis Missalis exiguntur, afferre obligationem gravem*, et sect. 4, n. 105, docet cum aliis, nonnulla esse materiam instructionis et directionis, non vero præcepti, quapropter communiter Rubricæ sunt præceptivæ, sed multæ etiam sunt directivæ. Noster tamen Quarti supra in *Questionibus proæmialibus*, sect. 2, punct. 2, sustinet, omnes Rubricas seu Regulas Missalis præscribentes ritus servandos a sacerdote in ipso actu celebrationis missæ, esse præceptivas; et in materia gravi obligare sub mortali: solumque ratione parvitas materiæ vel inadvertentiæ, earum transgressionem esse culpam venialem; et hanc astruit esse mentem DD. qui secundam ex allatis sententiis tuerentur, et præter auctores ibi allegatos, addit etiam Henrich., lib. IX, c. 26, n. 3; Nugnum, part. III, quæst. 83, art. 4, dub. 2; Reginaldum lib. XXXIII, num. 210; Peyrinum, in *Formul.*, litt. M, cap. 1, n. 1, probatque hanc sententiam, ex eo, quod præceptum contentum in Bulla Pii V, expresse loquitur de ritibus servandis in ipso actu legendi vel decantandi missam, absque ulla exceptione; ergo extenditur ad omnia verba et actiones, ex quibus missa componitur, unde sequitur sacerdotem sub peccato mortali ex genere suo nihil omittere posse eorum, quæ recitanda præscribuntur in missa: ita ut cujuslibet partis omissio sit peccatum, vel mortale, si materia gravis sit, et notabilis, vel veniale, si materia sit levis, et modica, et ita etiam docet noster Diana, part. V, tract. 5, resol. 63, ubi alios citat auctores, quos ipse sequitur. Nihil pariter est addendum precibus, quæ in missali præscribuntur, quia etiam id expresse cavetur præcepto Pii V, in bulla sæpius ci-

tata. Idem omnino dicendum est de ritibus et cæremoniis, quæ in actione consistunt, nempe teneri sacerdotes sub peccato mortali ex genere suo, nihil eorum omittere et nihil eis addere ob eandem rationem. Monet autem cit. Quarti, non esse hanc obligationem accipiendam in rigore metaphysico, cum simus in moralibus, sed morali et humano modo, ita ut satis sit, eam diligentiam adhibere, quam timorati sacerdotes, et sui muneris studiosi adhibere solent. Idem Quarti tenet, Rubricas continentis ea, quæ recitari vel fieri debent a sacerdote, ante missæ celebrationem, vel immediate post missam, esse non præceptivas sed directivas secundum se et sub consilio: quare nisi aliunde constet de præcepto, tales Rubricæ non imponunt obligationem, in quo sensu fatetur se adhærere tertiæ sententiæ supra relatæ. Docet præterea Regulas Missalis de ritibus servandis, non ab ipso sacerdote, sed a ministris et ab aliis circumstantibus et choro assistentibus, communiter esse directivas, quia præceptum sæpius replicatum Pii V, ad illas minime extenditur, unde non obligant ad culpam, nisi aliunde, vel ex consuetudine, vel ex vi juris naturalis vitandi scandali ea obligatio nascatur. Turr. tamen part. I, sect. 1, cap. 1, refragatur prædictæ Quarti sententiæ, quoad hanc ultimam partem, et contendit prædictum præceptum Pii V æque obligare sacerdotem et sacros ministros, cum et ille, et isti requirantur ad celebrandam missam juxta

præscriptum prædicti S. Pii V et aliorum Pontificum, qui sacras Rubricas condiderunt et approbarunt. »

(42. Num. autem 2: « Quærit, inquit, Gavantus quænam ex Rubricis sint præceptivæ et quænam directivæ tantum; et statuit tunc Rubricas censendas esse præceptivas, quando habetur hæc vox, *gravissime seu graviter peccare eum*, qui tales regulas transgreditur; sic etiam 2-2 docet Rubricas esse præceptivas, quando earundem materia pertinet ad integritatem sacramenti seu sacrificii. Quarti tamen supra sect. 2, § *Prima regula*, astruit hanc Gavanti regulam esse valde diminutam, ex eo quod Rubricæ, quibus præscribuntur ea, quæ sunt legenda in missa, ex. gr. epistola, evangelium, aliæ orationes et partes notabiles canonis, non expriment omittentem peccare mortaliter, nec spectant ad integritatem sacrificii; et similiter ritus, qui actione consistunt, ut oblatio hostiæ et calicis post offertorium; et tamen revocari non potest in dubium, tales ritus, alios quidem in verbis, alios vero in actione consistentes, esse præceptivos, et eorumdem transgressores peccare mortaliter; hinc infert prædictam regulam a Gavanto traditam, esse insufficientem, quam ipsemet Gavantus videtur destruere supra n. 14 in fine, ubi docet indefinite, Rubricas esse præceptivas, neque oppositum esse probabile. Quapropter sententia Suarez, Quarti, Puteobonelli, et aliorum supra, aliis sententiis est præferenda. »

## RUMOR.

*Vide verb. FAMA, n. 13, 33.*

## S

## SABBATUM.

## SUMMARIUM.

1. Sabbatum est ultimus hebdomadæ dies. — 2. Sabbati nomen non solum indicat septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significat hebdomadam. — 3. Sabbatum in Testamento Veteri erat dies festus designatus divino cultui. — 4. In Novo autem Testamento fuit abrogatus dies Sabbati, et pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominicæ. — 5. Dies Dominicæ fuit semper celebris ex tempore apostolorum. — 6. Unde modo non est cessandum Sabbato a labore, sed die Dominico, et aliter facientes excommunicantur. — 7. Dies Dominicæ fuit pro die Sabbati institutus variis de causis et mysteriis, quæ assignantur. — 8. Quidquid sit de aliis, certum est principale motivum et mysterium esse gloriosam resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi, intuitu cujus SS. Apostoli cœperunt celebrare Pascha die Dominico. — 9. Sabbato olim, et feria vi jejunabatur, quia in utroque die mœsti fuerunt Apostoli. — 10. Item Sabbato olim jejunandum erat ob reverentiam Sepulturæ Domini. — 11. Sabbato

magno, id est Sabbato sancto ordinari, seu consecrari potest episcopus. — 12. Sabbato sancto Campanæ non possunt pulsari in aliqua Ecclesia, etiamsi regulari, ante pulsationem in Ecclesia cathedrali, vel matrice, sub pena ducatorum centum. — 13. Tam in Ecclesiis regularibus, quam secularibus. — 14. Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope et extra muros existentibus, et etiam in Ecclesiis confratrum. — 15. Etiamsi adsit Ecclesia collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra matricem. — 16. Regulares ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato sancto possunt conveniri coram loci ordinario. — 17. Nisi consuetudo in contrarium esset legitima, vel Ecclesiæ multum distaret. — 18. Sabbato præsertim prohibitum est Christianis inservire Hebræis accendendo eis ignem et lumina, preparando comestibilia, et hujusmodi. — 19. Sabbato sancto, sicuti et feria quinta in Cœna Domini non potest ullo modo, et a quocunque dici missa privata. — 20. Alia ad rem ad num. 30.

(1. Sabbatum est ultimus hebdomadæ dies significans diem illum septimum, quo Deus Creator, completa sex diebus mundi creatione, quievit. *Gen. II, 2, ibi: Et requievit*

*die septimo ab universo opere, quod patrarat.*

(2. Sabbati nomen non solum indicat septimum hebdomadæ diem, sed insuper to-

tam significat hebdomadam, ut clare colligitur ex pluribus evangelicis textibus, et signanter ex *Lucæ* xviii, 12, ubi Pharisæus jactantiam, et vanam gloriam præferens dicebat: *Jejuno bis in Sabbato*, non quod bis jejunaret in uno solo eodem die Sabbati, sed quia, ut explicant sacri interpretes, pro *Sabbato* intelligebat totam hebdomadam, ut communiter nomine *Sabbati* totam integram hebdomadam intelligebant Hebræi, qui sua pro devotione et voluntaria pœnitentia bis in hebdomada, nempe die lunæ et die Jovis jejunare solebant, et sic in praxi habebat Pharisæus, unde dicebat: *Jejuno bis in Sabbato*, id est bis in hebdomada. Id ipsum clare demonstrant verba sanctorum evangelistarum Marci, *Lucæ* et Joannis narrantium magnum pietatis opus illarum sanctarum mulierum, quæ, emptis pretiosis aromatibus, die Resurrectionis Dominicæ valde mane iverunt ad monumentum, ut ungerent sacratissimum corpus Jesu. *Marci* xvi, 2, ibi: *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole*; *Lucæ* xxiv, 2, ibi: *Una autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes, quæ paraverant, aromata*; *Joan.* xx, 1, ibi: *Una autem Sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum*; quæ verba dictorum sanctorum evangelistarum non denotant diem Sabbati septimi hebdomadæ diei, sed intelligunt et designant primum hebdomadæ diem, qui erat *Dominica*, in qua resurrexerat Dominus noster Jesus Christus: dies enim Sabbati jam plene transierat, ut expresse habetur *Marci* xvi, 1, ibi: *Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum*. Et statim sequitur: *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole*. Hinc clarum stat, quod nomen Sabbati pro tunc non indicabat solum ultimum, seu septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significabat hebdomadam, seu quemlibet hebdomadæ diem.

(3. Sabbatum in Testamento Veteri erat dies festus designatus divino cultui, ut patet ex *Exodi* xvi, 13; *ibid.*, cap. xx, 8, 10 et 11; *ibid.*, xxxi, 13, 14, 15 et 16, et *Leviti* cap. xvi, 21; *ibid.*, xix, 3 et 30; *ibid.*, c. xxiii, 3, 11, 13, 24, 32, 38, 39; *ibid.*, cap. xxvi, 2. (4. In Novo autem Testamento fuit abrogatus dies Sabbati, et pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominicæ (5): concil. *Laodicense*, cap. 29, cap. *Pervenit* 11, dist. 3, De consecratione, cap. *Omnes dies Dominicos* 1, De feriis. (5. Dies enim Dominicæ fuit semper celebris ex tempore apostolorum. Concil. *Coloniens.* II, part. ix, c. 9, ibi: « Diligenter quoque populus admonendus est, cur feriæ, et potissimum dies Dominicus, qui a temporibus apostolorum in Ecclesia Dei semper celebris fuit, institutæ sint. Nempe ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum

(5) Idque ab ipsorum apostolorum tempore. Hinc S. Joannes in Apocalypsi: *Fui in spiritu die Dominico*.

Dominici, ad audiendum quoque sacrum, et communicandum, breviter, ad vacandum Deo soli, ut dies illa tantum orationibus, hymnis, psalmis et canticis spiritualibus transigatur. Hoc est enim sanctificare Sabbatum.»

ADDITIONES CASINENSES.

Dominica dies, seu dies Domini, utique Jesu Christi innuit resurrectionem (præter alia mysteria, de quibus auctor hic infra), quæ una Sabbati, seu prima die post Sabbatum contigit. Porro hujusmodi resurrectionis diem sanctam, festamque ab ipso Ecclesiæ exordio fideles habuerunt: utque ejus celebritas et cultus auferentur, visum est apostolis requiem die Sabbati Judæis præscriptam ad *Dominicam* transferre. Unde Cornelius a Lapide ex illo loco *Joannis* in *Apocal.* cap. i, v. 10, *fui in spiritu in Dominica die*, «Ergo, ait, a tempore Joannis et apostolorum cultus Sabbati fuit translatus in *Dominicam*, in honorem resurrectionis Christi, quæ in Dominica contigit.» *Comment. in Apocal.* ad cap. et vers. cit.

Id quidem ex aliis Scripturæ locis luculenter evincitur. Sane *Act.* cap. xx, vers. 7, habetur: *Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem*; id est (ut idem a Lapide ibi commentatur) prima die post Sabbatum, puta Dominica; in ea Paulus celebravit Eucharistiam, ad quam fideles de more convenerunt: ita Chrysost., Beda et Augustinus... Nota hic (prosequitur a Lapide) primævum morem celebrandi missam in Dominica, ad quam conveniebant omnes fideles, in eaque communicabant.»

Amplius Apostolus I ad *Corinth.* cap. xvi, v. 2: *Per unam Sabbati*, inquit, *unusquisque vestrum apud se seponat, recondens, quod ei bene placuerit*; ad quem text. sic Calmet: «Prima hebdomadæ, ait, dies Dominica est, nunquam non religioni habita, sacrisque cœtibus destinata apud Christianos obsequio resurrectionis Christi, quæ eam diem consecravit.» Hinc (subjungit a Lapide ad cit. Apostoli locum) «rursum patet tempore apostolorum mutatum esse Sabbatum in *Dominicam*»; indeque Dominica pro Sabbato sanctificari cœpta est.

Id quoque ex Patrum testimonio conciliorumque auctoritate plenissime liquet. Et revera S. Barnabas Jesu Christi discipulus, Pauloque comes in apostolicis laboribus, in epistola, quæ sub ejus nomine exstat (ut ab Eusebio et D. Hieronymo tanquam apocrypha habeatur, certum tamen est eam vetustissimam esse, et apostolorum temporibus exaratam), tradit, nos *octavam diem* (diem primam post Sabbatum seu diem *Dominicam*) in memoriam resurrectionis Christi celebrare.

Porro sanctus Ignatius Martyr, D. Joannis evangelistæ discipulus, in epistola ad *Magnesios* sic habet: «Omnis Christi amator Dominicum celebrat diem resurrectioni

consecratum Dominicæ, reginam ac principem omnium dierum.»

Et ibidem n. 9: «Qui in vetustis rebus versati fuerant, ad novitatem spei venerunt, non amplius Sabbatum colentes, sed juxta *Dominicam* viventes, in qua et vita nostra exorta est per Jesum, quem quidam negant.»

Pari modo S. Justinus, in *Apolog.* 1, disertè testatur, eadem die Christianos solemnes habere cœtus, quod mundus hæc die creatus sit, ac Christus resurrexerit. «Die solis (6), (sic ille) ut dicitur, die omnium, sive urbes, sive agros incolentium, in eundem locum fit conventus, et commentaria apostolorum aut scripta prophetarum leguntur... Postea omnes simul consurgimus et preces emitimus; atque ubi desimus precari, panis offertur, et vinum, et aqua... distributio fit, et communicatio unicuique præsentium, et absentibus per diaconos mittitur... Die autem solis (prosequitur Justinus) omnes simul convenimus, tum quia hæc dies est, qua Deus, cum tenebras et materiam vertisset, mundum creavit, tum quia Jesus Christus Salvator noster eadem die ex mortuis resurrexit.» N. 67.

Dionysius Corinthi episcopus, apud Euseb., *Hist. eccles.*, lib. iv: «Hodie, inquit, sacrum diem Dominicum transegimus.»

De die Dominica mentio quoque occurrit apud Tertullianum, lib. *De corona*, cap. 3, nec non apud Origenem, *contra Celsum*, et hom. 6 in *Exod.*

In canonibus sic dictis Apostolicis celebratio dictæ diei Dominicæ penes Christianos aperte innuitur, ibi: «Si quis clericus inventus fuerit die Dominica jejunare, deponatur; sin autem laicus, segregetur.» Can. 65.

Id ipsum ex concil. *Gangrensi* (habito an. 305) habetur, per hæc verba: «Si quis propter continentiam aut contumaciam in die Dominica jejunet, anathema sit.» Can. 18.

Conc. *Nicænum*, prim. œcumenicum, *Dominicæ* cultum penes univ. Eccles. clare ostendit Can. ult. tenoris sequentis: «Quoniam sunt quidam in die *Dominico* genuflectentes, et in diebus Pentecostes; ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio, stantes Domino vota persolvere:» nimirum a generali et solito ritu orandi *flexis genibus* (idque ad exemplum Christi, qui *positis genibus* orabat) habemus exceptionem ex hoc canone, diebus *Dominicis*, et toto tempore inter Pascha et Pentecosten, quippe hisce præfinitis temporibus, *stando*, et non *genibus flexis* orandum erat.

Et ut cætera PP. ac conciliorum monu-

(6) Dies solis uti vocabatur apud paganos, eadem est ac dies Dominica; siquidem significat diem octavam, id est primam post Sabbatum. Unde Patres aliquando diem *Dominicum*, diem solis dixerunt, ut hic supra S. Justinus, pariterque Tertul-

menta omittam, lubet sequentem afferre S. Augustini locum: «Domini resuscitatio (sic ille) promisit nobis æternum diem, et consecravit nobis Dominicum diem, qui *Dominicus* vocatur, quia hoc die Dominus resurrexit.» *De verb. apost.*, serm. 15.

Principes supremi, quamprimum Christianam religionem amplexi sunt, hujusmodi cultus observantiam latis legibus indixerunt. Et quidem Constantinus Magnus an. 321, diei *Dominicæ* venerationem, officiorum ac operum omnium cessatione, agricultura tantum excepta, generatim imperavit. Hic porro tenor legis, prout legitur in codice Justiniano, lib. iv, tit. 12, *De feriis* l. 2, ibi: «Omnes judices, urbanæque plebes, et cunctarum artium officia venerabili die solis (7) quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ libere licenterque serviant: quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa. Datum Non. Mart. Crisp. 2 et Constant. 2 Coss. 321.»

Item leg. edita V. Non. Junii 321, omnes lites ac repetitiones quiescere jussit, excepta manumissione, favore scilicet humanitatis. En verba legis: «Sicut indignissimum videbatur diem solis venerationis suæ celebrem, altercantibus jurgiis, et noxiis partium contentione occupari, ita gratum ac jucundum est, eo die, quæ sunt maxime vota compleri. Atque ideo emancipandi, et manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, et super his rebus actus non prohibeantur. V. Non. Junii Crispo 2, et Constantino 2, Coss. 321. Exstat in *Codic. Theodos.*, lib. II, tit. 8, *De feriis* l. 1.»

Pari modo Valentinianus Senior an. 386, omnes omnino lites, omniaque negotia die *Dominica* quiescere debere constituit; en verba legis: «Solis die, quem *Dominicum* rite dixere majores, omnium omnino litem, negotiorum, conventionum quiescat intentio: debitum publicum, privatumque nullus efflagitet. Ne apud ipsos quidem arbitros (vel in judiciis flagitatos, vel sponte deductos) ulla sit agnitio jurgiorum. Et non modo notabilis, verum etiam sacrilegus iudicetur, qui a sanctæ religionis instituto rituve deflexerit.» Exstat in anted. *Cod. Theodos.*, lib. VIII, tit. *De exsecutoribus*, etc., 3.

Tandem Theodosius M. spectacula die *Dominica* edi prohibuit, ut ex l. 2, inserta in cit. *Cod. Theodos.* lib. XIX, tit. 5, *De spectaculis*; ibi: «Nullus solis die populo spectacula præbeat, nec divinam venerationem confecta solemnitate confundat. Dat. XII Kalend. Jun. Hieraclæ, Honor. et Evod. V. C. Coss. (an.) 386.»

Id ipsum Theodosius, ac Valentinianus

lianus, in *Apolog.*, cap. 16. Quam eandem denominationem imperatores Christiani in suis legibus retinuerunt.

(7) Id est die Dominica. V. superiorem notam.

juniores firmarunt, an. 425, prout constat ex l. ult. cit. tit. *De spectaculis*, ibi: « Dominico et Natali, atque Epiphaniarum Christi, et Quinquagesimæ diebus... omni theatrorum atque circensium voluptate per universas urbes earumdem populis denegata. »

(6. Unde modo non est cessandum Sabbato a labore, sed die Dominico, et aliter facientes excommunicantur, concil. Laodicens. cap. 29, ibi: « Quod non oporteat Christianos judaizare et otiosi in Sabbato, sed operari eos in eodem die. Præferentes autem in veneratione Dominicum diem (si vacare voluerint) ut Christiani hoc faciant. Quod si reperti fuerint judaizare, anathema sint a Christo: » et concordat c. *Pervenit* 11, dist. 3. *De consecr.* ex Greg. I, lib. xi, epist. 3.

(7. Nec sine rationibus et mysteriis fuit ab Ecclesia pro die Sabbati institutus dies Dominicæ, pro quindecim enim rationibus et mysteriis a Deo operatis in tali die, dies Dominicus est institutus dies festus de præcepto, ut notavit eminentissimus cardinalis Ursinus, archiepiscopus Beneventanus, deinde Summus Pontifex sub nomine Bened. XIII, in suis doctissimis *Lectioibus supra Exod.*, lect. 29, n. 7, pag. 321, ut ex ipso Clericato in suis *Spiciis*, tom. I, verb. *Dominica*, n. 81. Primum igitur mysterium est, quia ipso die Dominico incepit mundi creatio. Secundum est, quia arca Noe ipsa die se stetit supra montes Armeniæ. Tertium est, quia ipsa die Hebræi a Pharaone fugientes mare Rubrum siccis pedibus transierunt. Quartum est, quia ipsa die manna e celo cecidit in deserto pro Hebræorum victu. Quintum est, quia ipsa die natus est Christus Dominus mundi redemptor. Sextum est, quia ipsa die stella tribus magis apparuit. Septimum est, quia tali die Christus Jesus baptizatus est in Jordane. Octavum est, quia dicta die Christus aquam in vinum convertit in nuptiis Canæ Galilææ. Nonum est, quia ipsa die Christus Jesus satiavit quinque millia hominum quinque panibus, et duobus piscibus in deserto. Decimum est, quia dicta die Christus a turbis cum psalmis summo honore exceptus est in Jerusalem. Undecimum est, quia Christus Jesus tali die gloriose a mortuis resurrexit. Duodecimum est, quia ipsa die apparuit apostolis, quando ipsos in episcopos ordinavit. Tertium decimum est, quia dicta die Christus Dominus misit apostolos prædicare fidem in universum mundum. Quartum decimum est, quia Spiritus sanctus descendit supra apostolos Dominica Pentecostes. Quintum decimum est, quia æternus iudex in fine mundi die Dominico venit iudicaturus vivos et mortuos. Hæc sunt motiva et mysteria propter quæ, dicunt supra laudati auctores, sancta Ecclesia diem Dominicum pro die festo haberi voluit. Multi tamen alii

(8) « Domini resuscitatio (inquit S. Augustinus, serm. 169, *De verb. Dom.*) consecravit nobis diem Dominicum, qui vocatur Dominicus, quia eo die Dominus resurrexit. » Orientales tamen olim in Ecclesia, etiam Sabbatis, perinde ac Dominicis fe-

doctores expresse negant varia ex prædictis occurrere die Dominico.

(8. Quidquid igitur sit de aliis, certum est principale motivum et mysterium esse gloriosam resurrectionem Domini nostri Jesu Christi (8), intuitu cujus sancti apostoli cœperunt celebrare Pascha die Dominico, ut celebrandum semper esse in concilio Romano sub Victore I, sic fuit statutum: « Decretum est Pascha non decima quarta luna primi mensis, sed potius die Dominico post quartam decimam lunam, et vernale æquinoctium occurrente, prout ab apostolis traditum est, celebrandum esse. » *Vid. verb. PASCHA*, a n. 2 ad 3.

(9. Sabbato, olim, et feria 6 jejunabatur, quia in utroque die mœsti fuerunt apostoli. Innocent. I, epistol. 1, cap. 4, c. *Sabbato* 12, dist. 3, *De consecr.* (10. Item Sabbato olim jejunandum erat ob reverentiam sepulture Domini, *ibid.*

(11. Sabbato magno, id est Sabbato sancto ordinari, seu consecrari potest episcopus; cap. *Dilectionis* 22, dist. 76.

(12. Sabbato sancto Campanæ non possunt pulsari in aliqua Ecclesia, etiamsi regulari, ante pulsationem in Ecclesia cathedrali vel matrice, sub pœna ducatorum centum, Leo X, in concilio *Lateranens.* v, sess. xi, constit. 4, incip. *Deum intra*, § 12, ibi: « Et ut debitus honor matri Ecclesiæ reddatur, tam ipsi fratres, quam alii clerici sæculares etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam Campanæ cathedralis vel matricis Ecclesiæ pulsaverint, Campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint: contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant. » S. congr. Rit., in *Oriolen.* 11 April. 1601, in *Marsicana* 21 Mart. 1609, in *Venusina* 30 Decemb. 1614 et 14 Novemb. 1615, in *Syracusana* 3 Junii 1617, et in *alia Syracusana Modicæ* 13 Febr. 1619. (13. Tam in Ecclesiis regularibus quam sæcularibus, ex cit. *Constit. Leonis X*, et *citatis decretis.* (14. Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope et extra muros existentibus, et etiam in Ecclesiis Confratrum. Sacra Rituum congreg., in *Placentina* 21 Augusti 1604, et in *Meliten.* 6 Dec. 1621. (15. Etiam si adsit Ecclesia collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra matricem. Eadem sacr. congreg. Rit., in *Syracusana Modicæ* 23 Februarii 1619.

(16. Regulares, ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato sancto, posse conveniri coram loci ordinario decrevit sacr. congreg. Concilii, in *Capuana* 13 April. 1591. Nisi consuetudo in contrarium esset legitima vel Ecclesiæ multum distarent. Sac. congr. Episcop. et Regul., in *Surrentina* 16 Julii 1601, et postea in *Thelesina* 15 Febr. 1622.

riari, conventusque sacros agere solitos fuisse constat: quam ob causam Asterius Amasenus episcopus in homilia *De repudio Sabbatum diebus Dominicis* jungit.

(17. Sabbato præsertim prohibitum est Christianis inservire Hebræis accendendo eis ignem et lumina, præparando comestibilia, aptando lecta, mundando eorum domos, et hujusmodi. *Vide verb. HEBRÆUS*, n. 19, 123, 184.

(18. Sabbato sancto, sicut et feria v in Cœna Domini non potest ullo modo, et a quocunque dici missa privata, ex decreto sac. Rit. congr. et Clem. XI, die 20 April. 1707, ac ejusdem Pontificis vivæ vocis oraculo 8 Augusti 1713, ac ultimo de mandato ejusdem 1719.

(19. Sabbati diebus abstinentia a carnibus non semper ubique fuit de præcepto. Benedictus XIV, tom. I, constit. 118, incipient. *Jampridem*, § 3, ubi refert exemplum sancti Gregorii VII, qui potius admonens, quam præcipiens hortatus est Christianos, ut Sabbati diebus a carnibus abstinerent. (20. In quo attendenda est consuetudo, ut tradit idem *De synodo diœcesana*, lib. vii, c. 56, n. 7, ex cap. *Consilium*, De observat. jejunior., (21. ubi Innocentius III ab episcopo Bracarensi de illis interrogatus, « qui propter debilitatem in Sabbato carnes sumunt; » rescripsit: « Respondemus, quod super hoc consuetudinem tuæ regionis facias observare. » (22. Et de facto in pluribus Hispaniarum, præcipue Castellæ, Gallæciæ et Majoricæ regnis, ex antiqua consuetudine, cujus originem difficile est divinare, homines vescuntur interioribus extremisque animalium partibus, et in quibusdam Gallicæ diœcesibus, veteri instituto, carnis esus permittitur in Sabbatis, quæ inter diem Natalem Domini ac festum Purificationis B. M.

## SACERDOTIUM, SACERDOS.

## SUMMARIUM.

1. Sacerdotium fuit in omni lege. — 2. Tempore legis naturæ, id est ab Adam usque ad Moysen, sacerdotes erant filii primogeniti. — 3. Tempore legis scriptæ, seu Mosaicæ, constituit Deus summum sacerdotem Aaron fratrem majorem Moysis, et medio Aaron transtulit Deus sacerdotium in tribum Levi. Hinc sacerdotes Hebræi vocabantur levitæ. — 4. Tempore legis gratiæ sacerdotes sunt omnes, et soli illi, qui ab episcopis rite ordinati characterem sacerdotalem receperunt, quo habent potestatem consecrandi verum corpus, et sanguinem Christi, ac remittendi, et retinendi peccata. — 5. Sacerdotium legis veteris commutatum est in novum. — 6. Sacerdotium novæ legis a Christo est institutum. — 7. Sacerdotium in lege novæ est visibile, et externum signum. — 8. Sacerdotium non est nudum ministerium, sed dicit potestatem con-

(1. Sacerdotium fuit in omni lege. Concil. *Trid.*, sess. xxiii, cap. 1, ibi: (2. « Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. » Tempore legis naturæ, id est ab

(9) S. Augustino vivente (confer ejus epistolam ad Casulanum, n. 21) aliqui hoc Sabbati jejunium a jejuniis repetebant, quod S. Petrus cum Simone Mago certaturus pridie toti Ecclesiæ Romanæ indixisse perhibebatur. Adi Thomassinum in *Ebro*

V. interjiciuntur. Idem, in cit. cap. 16, n. 9, et in cit. constit. *Jampridem*, § 3.

(23. Sabbati diebus per annum permittitur esus carniarum in regnis Castellæ, Legionis et Indiarum. Idem in d. constit. *Jampridem*, § 5. (24. Sabbati jejunium in jubilæis vel alias indictum, in alium diem transferri conceditur pro Græcis. Idem constit. 75 incip. *Etsi pastoralis*, § 9. (25. Sabbatis Quadragesimæ, excepto Sabbato sancto, Græci non tenentur jejunare, sed tantummodo a carnibus abstinere. Idem, *ibid.*

(26. Sabbatum unicum post Parasceven Ecclesia Orientalis olim jejuniis consecrabat, cætera per annum solemniter sine jejuniis celebrat propter hæresim Marcionis, aliorumque doctentium, jejunandum esse Sabbato in odium Dei Judæorum. Idem, *De synodo diœcesana*, lib. vii, cap. 56, n. 3. (27. In Ecclesia Romana jejunium Sabbati a S. Silvestro stabili lege firmatum fuit. Idem, *ibid.*, n. 4 (9). Hanc autem legem non omnes Ecclesiæ Occidentales secutæ sunt, ideo Bulgaris ad fidem conversis jejunium Sabbati non fuit indictum a Nicolao I, ex quo multæ etiam Ecclesiæ Occidentales talem legem subire detractaverint. Hispaniam hæc Romanæ Ecclesiæ disciplina probabiliter nunquam pervasit. Idem, *ibidem*, n. 6. Imo pedetentim in toto Occidente defecit; quare S. Gregorius VII, abstinentiam a carnibus die Sabbati potius commendavit, quam præceperit in concilio Romano anni 1078, can. 7, relat. *De consecrat.*, dist. 5, can. 31. Idem, *ibid.*, n. 7, et in cit. constitut. *Jampridem*, c. 3.

secrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Christi, et dimittendi peccata. — 9. Sacerdotalis ordo per Christum coepit a S. Petro. — 10. Sacerdos unde dicitur? — 11. Sacerdos non potest iterum fieri laicus per ablationem characteris. — 12. Sacerdos malus non perdit ordinem. — 13. Sacerdos malus adhuc valide conficit sacramenta. — 14. Sacerdotum officia in sacramentorum consecratione, non merita, considerat Deus. — 15. Unde sacramenta sunt bona, etiamsi ministri sint mali. — 16. Boni et mali sacerdotes æque corpus Christi conficiunt. — 17. Sacerdotes tamen quanto apud Deum sunt meritis digniores, tanto facilius a Deo exaudiuntur. — 18. Unde serio attendere debent sacerdotes, quod de ipsis habetur in c. *Vasa* 44, dist. 1, *De consecr.*, ibi: *Quondam sacerdotes aurei ligniis calicibus utebantur, nunc e contrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus*; alia notanda ad n. 152.

Adam usque ad Moysen, sacerdotes erant omnes filii primogeniti, qui virtute eorum *Primogenituræ* gaudebant hac commendabili prærogativa et facultate offerendi victimas in sacrificium Domino, ut docent S. Thomas,

*De jejuniis*, et *D. de V. Isle in Gallica jejunii historia*. Ut ut est, Adrianus I, in epistola ad Carolum regem, *Cod. Carol.*, t. I, p. 591, ex *Apostolica Regula Sabbati jejunium accersit.*